

171
1. 6
2. 0
3. 0
4. 0
5. 0
6.
7.
8.
9.



1710.


1. Adelphus, Christianus Michaelis : De thornis N. 214.
Vergeribus. 2 Bunde. 1710 : 1726.
2. Bekke, Johannes, Fac. med. procancelarius : pinguis
solummodo huius mundi Schindleris indicit.
3. st. Vondroff, Augustus : De termino punitorio solutionis
et protestationis cambiorum. 2 Bunde. 1710 : 1746
4. Henrichs Druff, Joh. Wood : De datio principis in manus
hostium a civitate neutrali. Certe facta.
5. st. Jacobi, Jo. Daniel : De foederibus veterum
per dissectionem animalium factis. 2 Bunde.
6. Krause, Michael Henrich : De purgatio pestiferis
Anastasinon.
7. Menckes, Gottfriedus Ludovicus : De iustis reprobis
redemptionem communitate iuncto socio.
8. Menckes, Gottf. Ludov. : De rebus geradiciis.
9. Mencke, Henr. Wils : De acquiescentia Legum Romanarum
maxime circa animalium noxam destructionem

- 1710.
10. Mendellius, Ludovicus: De retracta filiorum genti-
litio in feudis. 18.
11. Mendellius, Ludovicus: Turis controversi theoretico practi-
cis Decis III. 19.
12. Mendellius, Ludovicus: Turis controversi theoretico
practici Decis VIII. 20.
13. Olearius, L. Fridus: De testatoris incepta volum-
late invalida occasione l. 113 § 5ff de leg. I. 21.
14. Preuserus, Paulus: De Trajano Imperatore
presbitero Gregorio M. ex inferno liberato.
15. Schoettgenius, Christophorus: De liberis et legitimis
16. Schresterus, Christophorus: De feloniam per indirectum
in crimine praesae majestatis commissa.
17. Schresterus, Christophorus: De compensatione censo-
narii postestoris cum pretori. 2 Suppl.

1710

18. Lepresterus, Christoph: De origine juris canonici
19. Tilius, Gualterus Burkard: Libertas jurisdictae oratione
et programma inaugurali delineata.
20. Tilius, Gualterus Burkard: De veritate facientis
21. Tropanmeyer, Dr. Frid: De retentione actorum
a solvente ob salarium non solutum competentem.
- 2 Sept. 1710 - 1740





20.

Tit. 49. Bulm. 29.
5.

2. D. B. V.

1710, 8

12

DE

REBUS GERADICIS,

VULGO

Gerade Stücken /

P. 273.

INDULTU ILLUSTRIS ICTORUM
ORDINIS

GODF. LUDOV. MENCKEN, D.

ET

JOH. FRIEDERICUS SCIPIO,

DISPUTABUNT


H. L. Q. C.


D. VI. FEBRUAR. MDCCX.

LIPSIÆ,
LITERIS IMMANUELIS TITH.



DE
 DE
 GERARDICIS
 WILCO
 INDITTE ILLUSTRIJ ICTORUM
 ORDINIS
 GODI EUDOR MENCKEN D.
 JOHANNES SEBASTIANUS
 H. A. G.
 H. A. G.
 H. A. G.





B. C. D.

I.



Opulo Romano in more positura
erat tempore mediæ Juris Pru-
dentiaë Fœminas ab hæreditate
Parentum prorsus excludere,
HUB. ad Inst. l. 3. T. 2. Id. in Di-
gress. l. 3. c. 6. cum, quod masculi
sint familiae conservatores. *l. 1. §.*
13 ff. d. insp. ventr. & contra fœmi-
næ finis ejusdem. l. 196, §. 1. C. l.

195. §. f. ff. d. V. S. siquidem in alias domos tanquam colo-
nias exeunt, tum quod masculi publicè magis profint,
fœminæ verò ab omnibus negotiis publicis remotæ esse
jubeantur. *l. 2. pr. ff. d. R. J. conf. BODINUS de Republ.*
l. 3. n. 534. seq. p. m. 834. Hoc item movere potuit & pri-
scos Saxones, ut sexum fœmininum jure succedendi in res
paternas, & præcipuè immobiles, cujus rei vestigia extant
in *Art. 17. Land N. l. 1. j. Weichb. art. 58. & Gloss. lat. ad*
Art. 27. l. d. inf. l. 1. LN. privarent. *GOLDBECK. Tr.*
de Jure Geradæ c. 1. n. 2. j. c. 3. n. 12. conf. quæ habet EXC.
DN. BERGER. D. 28. de legit. Mar. tb. 13. præsertim quæd

masculis omnem ferè vitam in militia pro patria & liberis
 consumendam esse viderent. *Weichbild. art. 5. in pr. ubi
 gl. in pr. & f.* Et quamvis alii populi dotis loco fæmi-
 nis aliquid constituerent, quo & procis essent acceptio-
 res & post obitum Maritorum haberent unde viverent:
 Saxones tamen in hoc tanto fuerunt rigidiores, quanto
 magis futuros maritos ad dotem parentibus sponsæ infe-
 rendam compulerunt. *HEROLD. in Legib. Sax. T. 6. & 7.*
 imitati procul dubio universalem tunc temporis Germa-
 norum consuetudinem, qua Viri uxoribus, non uxores
 viris dotem dare solebant. *TACITUS de Moribus Germ.
 c. 18.* eaque non exhibita nihil consociatum aut fœdera-
 tum sponsalia habebant. *ALEX. ab ALEX. l. 4. Genial.
 dier. c. 8.* Cùm igitur sine dote & hæreditate fœminæ
 patria exirent domo, *HEIGIUS P. 1. qu. 8. n. 4.* ne prorsus
 nuda ad maritos venirent, sed quædam saltem pro
 nova familia sua constituenda non secus ac emancipati
 apud Romanos. *l. ult. C. d. emancip. l. 8. & 9. §. 2. C. d. bon.
 proscript. conf. HUBER. Digress. l. 1. c. 4.* à Parentibus
 acciperent, manu & opera ipsarum parata Utensilia ad si-
 militudinem novi quasi feudi, ut vult *Resol. Scab. Lips. qu.
 118. n. 5.* illis tribui placuit. Viri enim bellis perpetuò
 implicati cum hostibus pro tutandis & dilatandis finibus
 suis eminus pugnabant, rei verò familiaris cura fœminis
 unicè incumberebat, imprimis ut lanam & linum tractando,
 nendo, texendo, neta purgando, acu pingendo, men-
 sam, lectos, reliqua supellectilia facerent instructiora,
 quæ omnia, post mortem, ad solas filias & cognatas,
 tanquam laboris hujus participes, transmittebantur. *arg.
 Gloss. in art. 23. Weichbild. verb. durch ihres Amts wil-*
 len.

len. HEIGIUS. P. 1. q. 8. n. 68. Inde jus Geradae, ut opinor, ortum, quod etiamnum, tanquam non sine ratione introductum, FINCKELTHUS. *Obs. Pract. Obs. 81. n. 9.* HENR. GISEBERT. *in Harm. Pract. Peric. sec. Stat. p. 481.* SC MUCK. *in Tr. d. Gerada. P. 1. Concl. 1. lit. b.* viridi observantia sequimur.

II.

Dignum igitur argumentum hoc Dd. Saxonis visum, quod Commentariis suis illustrarent, quos inter Andree Goldbeckii Tractatus posthumus de Jure Geradae primum sibi locum vindicat. Nihilofecius amplissimus adhuc aliis campus patet, in quo ingenium exercere liceat. Ut enim specialia statuta, quale Lipsiae viget, taceam, quae peculiarem operam omnino merentur etiam circa ea, quae generaliter de hoc Juris articulo dici possunt, rem penitus scrutanti plurima adhuc se facile offerunt, quae aliis aut neglecta, aut non satis declarata, nec ad genuina principia reducta, aut secus, ac par erat, definita videri queant. Imo ipsam quaestionem, quid Geradae accensendum sit? quid minus, tantum abest, ut exacta atque omnibus numeris absoluta opera hactenus evolutum credam, ut potius, cum Dissertationi conscribendae thema esset eligendum, operae pretium me facturum speraverim, si DE REBUS GERADICIS von Geradestüden/ theses quasdam concinnarem, quibus, quantum potero, dilucide ac distincte proponam, quanam res proprie ad illam bonorum speciem, quam Geradam Saxones vocant, referri debeant, quaeque requirantur, ut, reliquae hereditati velut exemptae, jure singulari Geradae censerentur. Se-

Transitus ad
Thema.

Rubri expla-
natio.



ponam verò tantisper ipsum illud jus singulare, quod circa res, quas ad Geradam pertinere ostendetur, cum aliàs, tum maximè quoad successiõnem, obtinet, & ex illa qualitate, de qua nunc ero sollicitus, fluit. Idenim alia forte occasione uberius deducam; nunc verò non attingam, nisi quatenus, illustrationis aut discriminis rerum geradicarum & hæreditariarum, velut à posteriori, ostendendi gratiã ad illud provocare causamque ex effectu declarare vel probare cogar. A Te interim L. B. æquissimam mei laboris censuram expecto.

III.

Initium à Geradæ appellatione faciam, rationem redditurus, quamobrem vernaculam retinere maluerim, quàm adoptare aliquod è Latinis vocabulis, quorum varia occurrebant. Hanc enim bonorum speciem præcis Romanis penitus ignotam, aliquot, post Justiniani juris compilationem, seculis demum invenère Saxones. Cum igitur Doctores, quibus nomen Juris Romani Geradæ tribuendum videbatur, proprio haud invento, eligere cogentur, quod cuique maximè affine credebatur; non potuit non diversa appellatio diversis placere. Hinc venit nonnullis GERADA nomine SUPELLECTILIS ut *Gl. Wb. art. 23. in pr. WESEN. Tit. ff. quod quisque jur. n. 3. Tit. de Jure dot. in fin. Tit. de Supellect. n. 4.* aut SUPELLECTILIUM. COLER. *de Proc. Exec. P. 1. c. 3. n. 265. sqq.* UTENSILIUM aliis in *art. 5. & 24. Land R. l. 1. j. SCHNEIDEW. ad Inst. d. Success. J. Sax. int. mar. & ux. L. 3. T. 1. COLER. P. 1. Dec. 43. n. 3. j. Dec. 60. n. 24.* aliis JOCALIORUM GOLDBECK. *de Gerada in Praem. n. 6.* HUBER. *ad*

Variae appellationes ad ductæ.

—

π. l.

n. l. 34. l. 2. pos. 4. quæ omnia improprie dicuntur. Nam ^{Rejectis que}
 Voculæ istæ, Romanis Legislatoribus ac Juris Civilis Inter- ^{vocabulis}
 pretibus usitata, sensu ac intellectu diverso prolata sunt & ^{Latinis.}
 ad novas rerum voces; quarum qualitatem non agno-
 scunt; vix satis commodè applicantur. a. l. 7. §. 1. ff. d. *su-*
pell. leg. adedque ad Geradam, quæ priscis Romanis ne
 quidem in mentem venire potuit, consilio parum felici
 traducta videntur. Nimirum *Supellex* erat domesti- ^{Supellectilis.}
 cum Patris familias instrumentum, cui neque argentum
 aurumve factum. l. 1. §. 3. ff. d. *suppell. legat.* SCHILT.
ad π. Ex. 39. §. 94. neque vestes. l. 10. ff. *cod.* & ea quæ de-
 liciarum magis, quam usus, causa parantur. l. 11. ff. d. *su-*
pellect. leg. annumerabantur. Gerada contra non Patris-
 familias, sed sequioris sexus, instrumentum est, neque au-
 rum & argentum vestesve respuit, cum hæc potissima ejus
 pars non raro deprehendantur. *Utensilia* non tantum su- ^{Utensilium.}
 pellectilia, verum etiam esculenta, complectuntur. l. 12.
 §. 28. ff. d. *instruēt. vel instrum. legat.* at esculenta ad Gera-
 dam non referuntur. *Jocalia* ornamenta muliebricia sunt, ^{Jocaliorum.}
 quibus uxor cultior & elegantior incedit. *GAIL. l. 2. Obs. 91.*
 n. 2. Verum nec his solis nostra constat Gerada. Deni-
 que *Glossa ad c. 23. Weichb. in fin.* Geradam appellat *Pa-* ^{Paraphernalia}
raphernale, sed iterum valde improprie: *Parapherna-*
lium enim nomine venit, quicquid uxor, præter dotem,
 marito intulit. l. 8. C. d. *pacē. conv.* Gerada verò certas sal-
 tem res, sive illata, sive à marito, aut munere nuptiali, ac-
 cepta fuerint, complectitur. *CARPZ. P. 3. C. 22. d. 4. MOL-*
L. ER. semestr. l. 2. c. 42. n. 2. Citra injuriam igitur, uti
 vocabulum *Morgengabe*, ita & *Gerada* retinemus. ^{Retentum no-}
Spec. Sax. l. 3. art. 15. DU FRESNE in Gloss. ad Script. ^{men Geradæ.}
 med.

med. & infim. Latin. vocabulo Gerada p. 114. cùm appellationes rerum, maximè noviter inventarum detectarumque, à Romanis emendicare non constringamur. a. l. 9. ff. d. 7. & 7. j. BARTOL. ad b. l. unde &, vernaculo Geradæ nomine contenti, res ad eam pertinentes Geradiles aut Geradicas dicere convenientissimum credemus.

IV.

Divisio rerum
huc pertinentium.

GERADA igitur, à Gerátthe/appellata *Glin pr. Weichbild art. 23. BEUST. d. matrim. c. 17.* aut à Gerade. GOLDB. d. Gerad. c. 1. n. 2. est *universitas certarum rerum huc pertinentium.* Verùm quid sit, patebit, cùm docuerimus, quid res sint, quæ ad eam referuntur. Illas geradicas, an geradiles, vocemus perinde foret, nisi perspicuitatis studium, quod meritò sequimur, discrimen ponere juberet. Scilicèt, ut Geradæ aliquid accenseatur, duo requiruntur 1.) ut è specierum, quas mores huc retulere, numero sit, quia aliàs res hæreditaria manet, etsi reliqua Geradæ requisita rectè se habent. CARPZ. P. 2. C. 14 d. 29. n. 3. 2.) ut rite ad fœminas pertineat, neque enim quicquid aptum natum est ad locum in gerada obtinendum, etiam ilicò reapse eo pertinet. Itaque cùm statuta aut Dd. rem aliquam Geradæ generaliter annumerant, speciem suâ naturâ eò referri posse docent, non id agunt, ut, si alterum requisitum deficiat, illam hæreditati exemptam tradant. Atque adeò eadem res, cùm ipsum corpus consideramus, ad geradam, cùm possessorem intuemur, ad hæreditatem spectare potest. Quod ne obscuritatem pariat, licebit, ad evitandam confusionem conceptuum, quos

quos distinctissimos esse oportet, doctrinæ gratia res geradiles à Geradicis discernere. Eas igitur, quatenus in se In Geradiles. consideratæ, actu primo ad Geradam spectant; seposito tantisper respectu ejus, ad quem pertinent, jurisque quod illi circa eas competit, GERADILES appellabimus; GERADICAS verò eas tantum dicemus, in quibus in- Et Geradicas. super & reliquæ circumstantiæ ita concurrunt, ut actu secundo geradam revera constituent.

V.

Itaque Geradilia appello res, quas usus cujusque lo- Definitio Geradilium sunt
ci ad catalogum Geradæ retulit, conf. CARPZ. Dec. 23. n. 3. quisquis tandem, aut quocunque titulo, eas possideat. Res inquam, neque enim corporum appellatio placet, Res
 quam *MODESTINUS PIST. l. 1. q. 19. n. 2. GOLD-BECK. c. l. n. 9.* alique in definiendo adhibent, quo jure, ipsi viderint. Nobis & Actiones, utpote rei, ad quam comperunt, naturam sequentes, & Jura ad geradam, tanquam universitatem, referuntur, quod infra §. 18. *seqq.* pluribus ostendemus. Itaque convenientius visum Re- rum vocabulum, quo præter corporalia etiam incorporalia significantur. *pr. l. d. reb. corp. & incorp. l. 1. §. 1. ff. d. rer. div. HUB. ad Inst. L. 2. T. 2. p. 2. Id. Digr. l. 4. c. 17.*

VI.

Utraque, nisi nexu feudali à Domino recognita aut simili Juris Vinculo obnoxia fuerint, ad hæreditatem olim pertinere, cui certas res postmodum exemit Geradæ introductio. Hæc igitur cum & facti sit, & jus correctorium contineat, adeoque ad non cogitata extendi haud debeat, manifestum est, rem potius hæreditariam, quam geradilem, in dubio præsumi, hincque qualitatibus hujus

B

pro-

probationem affirmanti incumbere, quò facit LandM.
l. 1. art. 24. was aber über das benannte Ding ist / das
gehört alles zum Erbe. Unde ergo illam peterelice-
 at, videndum. Ex usuali nimirum ad Catalogum Gera-
 dæ relatione, quæ solarem ex hæreditaria geradilem fa-
 cit. Quid Lipsienses illi annumerent, videri potest in
VOLCKMANNO emendato p. 85. seqq. & quemadmo-
dum res geradiles hinc inde, secundum diversitatem lo-
corum, variant, velea ostendunt, quæ ex aliquot statu-
tis adducuntur in Disp. D. WERNHERI de Jure succe-
dendi in rebus expeditoris & Utens. Tractatui Struviano
ad Ant. Matth. d. Success. adjuncta p. 436. seq. quæ in LandM.
l. 1. a. 24. & Weichb. art. 25. huc relata inveniuntur, vix
 ullibi omnia recepta deprehenduntur. Itaque ad cujus-
 vis loci consuetudinem unicè respiciendum, cum certis
 regulis res geradiles includere omninò impossibile sit.
 Quamquam enim huc pertinere dicuntur, quæ ornatui
 mulierum, usuique ipsarum & familiæ inserviunt, *CARPZ.*
P. 3. C. 30. d. 15. n. 4. ista tamen, nec omnia, nec sola, huc
 spectant. Sanè *Oves femelle*, potissimum quas maritus
 nobilis in alio, quàm quod inhabitat, prædio habet, &
 cum eo locare solet, non minus ac reliqua animalia,
 prædio potius, quàm rei familiari usum præstant, nihilo
 tamen secius uxori cum reliqua Gerada cedunt. *LehnM.*
Gl. c. 56. §. läßt aber die Frau. *MOLLER. P. 3. C. 38. n.*
23. RAUCHB. P. 1. q. 17. n. 18. seqq. Contra ad illam non
 referuntur *Sponde hölzerne Betten.* *CARPZ. P. 2. C.*
14. d. 38. nec Cochlearia aut Cantharus puerpere. Id. ib. def.
42. aliusve. nec Qualus Laugen-Korb und Löpffe. d. 47.
 nec *Vern* aut *Cucumella* *Brat-Pfanne* und *Brat-Spieß.*
 STRUV.

STRUV. Designation. rer. ad geradam pertinent. p. 402. nec die Rolle oder grosse Mandel. Id. p. 408. quamquam his omnibus, non minus ac cistis, candelabris reliquisque utensilibus foeminae utuntur. Ex quibus consequitur, quod diximus, RES GERADILES non alias esse, quam quas ad Geradae designationem usus retulit.

VII.

Hæ res GERADILES, ut actu Geradae jure censeantur, (quo casu illas nobis geradicas appellari supra §. 4. indicavimus) quinque requiruntur. Scilicet, ut 1.) §. requisita, mobiles 2.) nec aliis quam propriis usibus destinatae sint. 3.) ut ad foeminam 4.) jure ad Successorem Geradae transmissibili 5.) proprietatis aut alio ad acquirendum dominium habili pertineant. De singulis seorsim *Infeparabilia,* agendum, si prius inculcavero, ut hæc omnia simul concurrunt, necesse esse. Quodsi enim vel unum deficiat, res nihilominus hæreditaria manebit, ut omnes reliquæ partes, quibus rem Geradicam constitui asserimus, ne minimo quidem vitio laborent. Itaque si verbi causa, an pannus lineus Seja ad geradam ejus pertineat? quasiæris: rectè quidem initio *pannum* quemvis *lineum* geradilem esse ex *art. 24. l. 1. LandN.* collegeris, nec malè deinceps, cum illum nullo respectu ad immobilia referri cognoveris, quo jure ad dictam foeminam pertineat, investigaveris. Nihilo tamen secius, licet plenum & illimitatum dominium illi competere intellexeris, egregiè poteris falli, si pannum illum geradae accensendum esse jam certum satis exploratumque existimas. Quid enim si eum Seja mercatrix negotiationis gratia in taberna habuerit? Nempe ad hæreditatem referendus

B 2 erit,

erit, quod, cum reliqua rectè se habeant, unum tamen eorum, quæ requisivimus, deficere patet. *CARPZ.* P. 2. C. 14. d. 31. j. *Gl. in Weichb. art. 23. n. 4. ibi* disj. ist. §. n. 22. *vers. Ihr sollt wissen.* Idem ergo de reliquis iudicium esto. Quod probè notandum monemus, antequam ad specialem singulorum requisitorum discussionem descendamus. Tùm enim, de uno semper solliciti, cæteris suam integritatem constare ubique supponemus. Ex his ergo apparet, quænam propriè RES GERADICA putanda: Nimirum RES GERADILIS, i.e. usu ad Geradam referri solita. vid. §. *prac. mobilis, usui proprio destinata, circa quam femine ad successorem Geradæ transmissibile dominium aut jus ad illud acquirendum habile competit.*

VIII.

Definitio.

I. Requisite
Mobilitas.

Initio igitur, quicquid inter res geradicas locum sibi vindicat, *mobile* esse dicimus. *HENR. GISEBERTUS* in *Harm. Pract. Stat. p. 484. n. 37.* In quo magnus Jctorum consensus est, cum vix quisquam paulo accuratiorem Geradæ definitionem tradiderit, quæ mobilium haud faciat mentionem. vid. *FINCKELTHUS. O. 83. n. 3.* Probata ex o. *HART. PIST. O. 190. n. 22.* Scil. supra §. 1. innuimus, Geradæ privilegium eo potissimum sine inventum, ut haberent mulieres, quod & Hergewetta, & non feudaliæ modò, sed reliquorum etiam immobilium, ad solos olim masculos delatorum, jacturam aliquatenus compenset. Itaque cum immobilium successionem maribus non imminutam, sed confirmatam potius, subtracta fœminis conquerendi occasione, voluerit Legislator, prærogativam, quam illis vicissim tribui placuit, sola mobilia afficere debuisse manifestum est. Quod etiam accidisse colligo ex *LandM.*

Probata ex o.
sigine.

Land N. l. 1. a. 31. ubi & vernaculus textus Geradam conceptis verbis *bona mobilia* appellat, interpretante glossa: Sie mögen ihren Mannen ihre fahrende Hab nicht geben. Da meint er die Gerade mit. & Latinus, *cum nulla mobilia, præter utensilia*, vivente marito in proximiora hæredem transmittat, tradit, utensilia, ceu speciem, mobilibus, tanquam genere, comprehendi docet, j. Land N. l. 3. art. 76. HEIG. P. 1. q. 9. n. 67. sq. & ab hoc allegatum JOHANNEM TILIUM de Rebus Gall. l. 2. t. d. filiabus Franc. in princip. 121. qui Francos olim eodem esse jure usos refert, eo & facit P. 3. C. El. 21. in fin. ubi pecuniam uxoris, eâ defunctâ, cum reliquis mobilibus exceptis, quæ ad Geradam pertinent, ad maritum deferri ostenditur. Ut jam GOLDBECKII argumentum c. de rebus quas uxor quasque prox. cogn. n. 5. p. 152. taceam, textus omnes, quibus, quæ Geradæ annumeranda sint, recensentur. vid. Land N. l. 1. art. 24. & 31. Weichb. art. 23. Lehmann. a. 12. non nisi mobilia referre observantis; Hoc ipso vero corpora se moventia, quæ aliàs quoque mobilium appellacione contineri constat l. 1. ff. d. R. V. l. 15. C. d. sacros. Eccl. j. l. 15. §. 2. ff. d. Re Judic. GOLDBECK. c. Tr. c. 1. n. 6. 7. 8. non excludimus. Quod nobilium foeminarum gratiâ addimus, quarum Gerada anseres etiam atque anates, & foemini sexus oves complectitur. Glossa des Lehmannes. c. 56. verb. auff daß ihr nun eigentlich wisset. Weichbild. Tit. von Gerade / Morgengabe. fol. 130. CARPZ. P. 2. C. 14. d. 24. GOLDBECK. Tr. de Jure Gerade rubr. de rebus quas uxor. n. 19. p. 56. Ignobilibus enim, ad quas legis Saxonice dispositio saltem quoad res mobiles, strictissimo sensu dictas, extensa est, nulla animantia eo

Et a. 31. l. 1.
Land N.

Comprehendit etiam se moventia.

nomine tribui satis notum. *WESENB. P. 6. Consl. 254. n. 1. Consl. 285. n. 54. conf. HART. PIST. l. 1. qu. 3. n. 26. & l. 1. q. 16. n. 23. verb. ut interim omittam.*

IX.

Exclusis im-
mobilibus.
Tam natura.
Quam jure.

Diversam ergo *immobilium* esse indolem patet, quæ illa Geradæ accenseri non patitur. Quod saltem de iis, quæ naturâ suâ fixa sunt, veluti rebus fundi, rectè asseri nemo mortalium negaverit. De reliquis, quæ aut terræ ædibusve ita, ut loco amplius moveri nequeant, juncta, aut perpetuo usui immobilibus præstando actu destinata sunt, justius dubitaretur, nisi utraq; *immobilium*, quibus ea aut hominis factum aut juris intellectus annexit, naturam & leges sequi constaret. *vid. l. 21. ff. d. instr. vel instrum. l. 17. §. 7. 10. l. 18. ff. d. act. emt. j. Dec. El. 53. HEIG. P. 2. qu. 15. n. 25.* sicut igitur *Lechtus expeditorius* adhuc *Hergewet- ta* inest. *v. inf. §. 17. licet Weichbild, a. 23.* lectos omnes indistinctè accenseat Geradæ, quam singularibus *Marium* juribus haud præjudicare ex ejus origine §. *præc.* deduximus: ita quoque ad ea corpora, quæ *immobilium* jure fruuntur, quamvis aliàs geradica forent, foeminarum privilegium extendi non potest. Nec est, quod quisquam legum civilium placita ad nostrum argumentum frustra applicari regerat. Confitemur enim spontè genuinum controversias geradicas decidendi principium à jure patrio potius, quàm Justiniano, petendum esse, nec negamus, si alia omnia Romana jurisprudentia statuisset, sequendos nihilominus esse Saxonum mores, quibus ad Geradam non pertinere immobilia ostendimus. At cum quaritur, quæ sint immobilia? tacente lege domesticâ jus Civile in subsidium meritò vocamus, eadem prorsus ratione,

ne, quâ à successione mariti mobiliari, quam pariter
 contra Justiniani decreta majores nostri introduxerunt,
 nemine contradicente eximi videmus, quæcunque, silen-
 te jure patrio, ad immobilia lex Romana referre jubet.
conf. P. 3. C. El. 25. NICOL. Resolut. 12. n. 219. COLER.
P. 2. Dec. 286. BERL. P. 3. Concl. 35. Quod eo facilius mi-
 hi concedendum, quo incautius mores etiam, in mani-
 festa juris utriusque diversitate, *Glossam ad a. 24. l. 1.*
LandM. sequuntur, cum ad *Geradam* pertinere negat
linum solo cobarens. GOLDBECK. Tr. d. Jure Gerade
cap. 4. n. 67. quod juxta l. 44. ff. d. rei vind. fundi quidem
pars esse videtur, at nostro jure mobilibus annumeran-
dum. P. 3. C. El. 32. JehnM. art. 58. adeoque quatenus in
 agro foeminae proprio natum, ob generalitatem textus
Weichb. art. 23. ad geradam omnino referendum fuisset.
COLER. Decis. 60. n. 31. Inde ergo elucescit ratio, cur Ge-
 radae haud accenseantur *Candelabra appensa. FINCKELT-*
HUS. Obs. 81. n. 58. Lectique diversiorum. Weichb. art.
23. j. Gl. n. 24. Illustris DN. LYNCKER. Consil. 42. n.
32. & 34. CARPZ. P. 2. C. 14. def. 37. BERLICH. P. 2.
Concl. 30. n. 24. quia nimirum immobilibus annumeran-
tur. v. HEIG. P. 2. qu. 15. n. 25. sqq. FRID. PENSOLD.
ad Coler. Dec. 286. n. 289. FINCKELTHUS. Disp. feud. 3.
contr. 20. l. c. His positis sequitur, Oves ferreas ad nobi-
 lium *Geradam* non magis pertinere, quam reliqua ejus
 conditionis animalia ad hereditatem foeminae ignobilis
 mobiliarem, cujus nomine illa nequaquam viduo tribui
 docet. *NICOL. dict. Resol. 12. n. 203. Reliqua brevitatibus*
 studio pratermittimus.

Ut candelabris
 appensis.

Lectis diver-
 foriorum.

Ovibus fer-
 reis.

Adeo que etiam Aheno muro affixo.

Nisi probetur consuetudo contraria.

Quæ restringitur ad ahenum uxoris proprium.

Unam tamen Conclusionem præterire non decet, quam, adductis contrariis præjudiciis à *CARPZ. P. 2. C. 14. d. 35.* impugnatam rectius, quamvis obiter, approbat *GOLDBECK. c. 4. n. 12. l. a.* scil. *Ahenum* (*Waschfessel*) tum demum Geradæ accenseri, cum muro affixum haud est. Aliàs partem ædium constituet, adeoque jure immobilium censebitur *a. l. 76. ff. d. contrab. emt. l. 52. §. 7. ff. d. legat. 3. JOHAN. CEPHAL. Consil. 92. n. 26.* nisi specialis consuetudo aut statutum aliud contra Geradici juris analogiam introduxerit. Hæc enim quin juri generali derogare possint, ambigendum non est, forent tamen strictissimæ interpretationis. Adeoque etsi ahenum uxoris proprium moribus geradicum haberetur, id tamen ad aliud mariti ædibus junctum in dubio haud deberet extendi. Nempe infra §. 17. videbimus, rem mariti geradilem ad uxorem pervenire viri liberalitate, quæ ex usus & custodiæ concessione facta præsumitur. At quia aheni muro coherentis nec custodiam viri conjugii concedere, nec alium, quam qui omnibus ædium conductoribus inquilinisve patet, usum concedere solet; quem si uxori denegandum statueret, id scil. consequeretur, ut cum ratione eum insanire velle forsitan & æqui rerum arbitri suspicarentur. Unde ergo tacitam colliges donationem partis ædium, cujus ne quidem expressa alienatio tolerari deberet? *v. l. 52. ff. d. contrab. emt.* saltem quamdiu de intentione alia substituendi non constat. *Add. Ill. STRYCK. Cant. Contr. Sect. 1. c. 3. §. 26.* De ea vero à novellis maritis plerumque cogitari si quis referat, ab illo Jovis vigilantis insomnia recenseri credideris. Quodsi tamen mariti quoque ahenum viduæ

viduæ tribuat consuetudo, hæc tamen indubitata, Et casum morientis mariti.
 sed quoad reliquas personas incerta, nihilominus mores
 nœmæ communi contrarios ultra Geradam, mortuo de-
 mum marito debitam, de qua infr. §. 16. haud profere-
 dos arbitror. Unde sequitur ahenum hoc casu nec Nif-
 telgeradæ inesse, nec, venditis vivo marito ædibus, uxori
 deberi. Cæterum ædificii dominus præstatione æsti- Nec tribuit
 mationis, aut alterius aheni æquè boni, semper liberari Jus vindicandi.
 videtur, cum & aliàs denegata tigni juncti vindicatione
 l. i. ff. d. tign. junct. in factum saltem actio ad consequen-
 dam rei non furtivæ æstimationem competat l. 23. §. 5. ff.
 d. R. V. l. 63. ff. d. don. int. vir. & ux. TABOR. Racem. ci-
 vil. p. 179. Rac. 6. §. 13. cui argumento æquus judex eò lu-
 bentius favebit, quo manifestius iniquum foret fœminæ
 de lucro captando certantis malitiæ subveniri, si ipsius
 aheni restitutionem, nullo suo commodo, cum evidenti
 hæredis, proximi plerumque aut consanguinei aut affi-
 nis, damno præfractè urserit.

XI.

Requisitum rei geradicæ etiam esse diximus, ut pro-
 prio usui destinata sit. conf. COLER. P. 2. Dec. 286. n. 168. Requisition II.
 BERLICH. P. 3. Concl. 30. n. 23. Per proprium vero usum Destinatio ad
 usum pro-
 prium.
 intelligimus eum, cui communiter quævis res applicari,
 cujusque gratia species fieri solet, qualis lectorum est,
 ut in iis recumbamus. Nisi specialissimum usum mo-
 res præscripserint, quod circa Caldarium (Brau-Pfan-
 ne) contigisse observant, qui illud, nisi pro mercede ex-
 tra ædes locetur, ad hæreditatem referunt, non Gera-
 dam. vid. HART. PISTOR. L. 1. qu. 32. n. 10. seq. GOLDB.
 Tr. d. Gerada c. 2. n. 24. BERL. P. 3. Concl. 25. n. 4. seqq.
 C CARPZ.

CARPZ. P. 2. C. 14. d. 35. n. 4. Quanquam itaque usus actualis adeo non est necessarius, ut illa quoque Geradæ nomine veniant, quibus mulier nunquam usâ fuit. *P. 3. C. El. 22. CARPZ. P. 2. C. 14. d. 28.* quia tamen ex animo, re tanquam Geradâ utendi, de re ipsâ institui debet iudicium, *Glossa Weichb. a. 28. col. 8.* rectè destinationem, de quâ agimus, requisivissè apparet. Adeoque huc non pertinent, quæcunque aliâ intentione fœmina possidet aut petit, utpote si qua mulier donum nuptiale tertio dandum emerit, aut mercatrix eo fine res geradiles comparaverit, quo eas iterum vendendo quæstum faciat. *Weichb. a. 28. CARPZ. P. 2. C. 14. d. 31.* Interim, cum in dubio id fieri credatur, quod plerumque accidit, animum re ut geradicâ utendi præsumi facilè largior. *Gl. lat. ad art. 38. l. 3. LandR. lit. e. COLER. P. 1. Dec. 60. n. 45.*

Quæ præsumitur. Quisquis ergo contrariam destinationem allegaverit, in eum probandi onus merito devolvitur. Licebit tamen etiam ex circumstantiis fidem iudici facerè, modò illæ certam & actualem fœminæ intentionem prodant, veluti si annulus ab aurifabro publicè in taberna venum exponi consveverit. Quod si de obligatione, quam alterius liberalitas peperit, disceptetur, inspicienda donantis destinatio, in quam consensivissè honoratam credibile est. Itaque, cum mercatrici fato functæ promissæ fuere mappa aliquot rarioris texturæ, in jus eas petendi non cognata, sed hæredes, succedent, si promissor eam donandi causam allegaverit, quòd illam plures emturam speret, quamprimum eas ad exteros, cum quibus ipsa mercaturam exercere solet, delatas carius vendi posse, harum exemplo, didicerit.

XII. Æ-

XII.

Æquè necessaria rei geradicæ lex est, *pertinere ad foeminam*, SCHMUCK. *de Gerada. P. 1. c. 9.* cujus appellatione etiam *Hermaphroditum*, in quo sexus sequior prævallet, indicari, vix opus est ut moneam. *L. 10. ff. d. stat. hom. conf. ECKOLT. ad π. l. 1. t. 5. §. 2.* Solus hic Sexus Geradam facit, solus retinet, solus ad alias mulieres transfert. *LandN. l. 1. a. 27. j. l. 3. art. 15. Glossa in LehnN. art. 56. verb. last aber die Frau. FR. PFELLS Cent. II. Conf. 119. n. 2.* Nec interest unius foeminae res sit propria, an ad plures partibus indivisis spectet, modò divisioni locus sit, si à communione recedere placuerit. Aliud enim circa ea obtinet, quæ Collegii nomine possident aut petunt. v. g. circa lectos aliave ejusmodi utensilia membris *Gerontocomii muliebris*, veluti denen *Spital Weibern zu St. Georgen* allhier. legata, cum Hospitali ea acquirantur. idem de *Sanctimoniali*, quæ paupertatis se voto alligavit, dicendum. Quanquam enim illa non obstante Lege Saxonica in Geradam cognatæ succedit, quia tamen quascunque res lucratur, etiam geradiles, monasterio illicò acquirunt. *a. C. 6. X. de stat. Monach. j. autb. Ingressi C. d. SS. Eccles. ibique GILCKEN. fol. 60. REUSNER. de Test. c. 31. n. 5. Part. 2. fol. 385.* Geradæ numero esse desinunt, quæcunque ad illam perveniunt.

Requis. III.
pertinere ad
foeminam.

Excepto Col-
legio.

Moniali.

XIII.

Malculorum respectu Gerada nulla est: *MOLLER. semestr. c. 6. l. 2. n. 2.* sed quicquid illi possident, feudaliū, expeditoriarum & hæreditariarum rerum loco habetur. *Glossa LehnN. c. 56. n. 8. verb. und darum nehmen. Gloss. LandN. l. 1. a. 22. v. So soll die Frau. j. LN. c. 1. CO-*

Exclusis ma-
sculis.

LER. *Decif.* 243. n. 1. § 99. quarum jure censetur, excepta Gerada, omne illud, quod geradilium aut viventis possident, aut post fata relinquunt, *vid. SCHNEIDEW. ad Inst. l. 3. r. l. n. 55. HART. PISTOR. Obsf. 190. n. 23. CARPZ. P. 2. C. 14. d. 27. MOLLER. l. 2. Semestr. c. 6.* quemadmodum contra res expeditoria, cum primum in foeminae dominium pervenerint, Hergewettæ jus amittunt. Quod Clericorum etiam intuitu verissimum. Licet enim hi matri in Geradam succedant. *Land N. l. 1. 2. 5. CARPZ. P. 2. C. 14. d. 60.* illa tamen, quam primum ipsis delata fuit, mobilium hæreditariorum numero esse incipit. *Land N. l. 1. art. 27. infine. CARPZ. P. 3. C. 38. def. 39. n. 1.* idem circa ea obtinet, quæ aut proxima cognata vi duo de Gerada relinquere tenetur, aut pecuniaria statuta, post uxoris fata, viris tribuunt. Hæc tamen eò detorqueri nolim, ut masculus, quem in re serua nugas agere voluisse haud apparet, de Gerada sua contrahens nihil effecisse credatur. Neque enim falsa demonstratio aut error in nomine commissus nocet. §. 29. 30. 31. *I. d. Legat. Conf. de casu simili, ubi foemina Geradæ, cujus partem antea distraxerat, donata etiam pretium è rebus venditis redactum in designatione annumeraverat. CARPZ. P. 2. C. 14. d. 13.* Quare cum eà uti interpretatione deceat, ut ætus valeat potius quam pereat. *L. 80. ff. d. V. O.* convenientissimum erit, quæ de Geradâ suâ non adeo accuratè masculus posuit, de rebus ejus geradilibus, de aliis enim sentire non potuit, intelligere. *HART. PISTOR. Obsf. 290. n. 22.* maxime si addita declaratio mentem loquentis manifestius prodat v. g. si Clericus universam suam Geradam, prout in eam matri successit, vendiderit. Quo casu, ut hoc obiter addam, cum

Qui per suam Geradam res suas geradiles intellexisse credendi.

cum, præter lectos à matre acceptos, nullum omnino possidet alium, etiam culcitra militaris deberi videtur, quam aliàs, simplici totius Geradæ alienatione à viro facta, non comprehendi crediderim. *a. Gl. LehnR. c. 56. j. LandR. L. 1. a. 2.*

XIV.

Non sufficit autem rem geradilem ad foeminam pertinere, nisi eadem ad proximam cognatam vel eum, cui lex eorum bonorum successionem defert, transmitti queat. Ea enim potissima muliebris privilegii vis est, ut singularem planè succedendi rationem invehat, quâ sublatâ de Jure Geradæ adeò inutilis quæstio nonnullis visa est, ut fuerint, qui Geradam viventis prorsus non dari, quamvis erronee, contenderint. *conf. FINCKELTHUS. O. 48. n. 6. MOLLER. P. 2. c. 14. n. 1.* Itaque cum rem geradilem nurui ea lege socer donavit, ut semper in familia mariti maneret, eadem ad Geradam non amplius pertinebit, quam quatenus cum illa fideicommissum conventionale conciliari potest. Multò minus Geradæ jure censeari possunt, quæcunque feudi naturam assumere; Ideò feudum foemininum in meris geradilibus constitutum, quale forsitan nec datum unquam fuit, nec dabitur, quanquam ambigendum non est, quin solemnitatibus, quæ in Geradæ donatione requiruntur, à foemina feudum i. e. beneficium *I. F. 1. §. 2. 4. I. F. 14. pr.* concedente, observatis, ejusmodi res, utpote liberrimam inter vivos alienationem ferentes, æque ac pecunia, de qua *vid. P. 3. C. El. 30.* feudi improprii nomine dari queant. *MATTH. WESENB. Vol. 2. Conf. 79. n. 18. conf. EXC. DN. HORN. in J. F. c. 4. §. 21. sqq.* At non æque infrequenter res geradiles feudo junguntur, quem-

Requis. IV.
Transmissi-
bilitas.

Excluditur ergo res fidei commissio obnoxia.

Et feudalis.

Aut feudo juncta.

quemadmodum non ipsas tantum ædes, sed certum simul lectorum aliusque supellectilis inventarium nominatim nonnunquam per investituram tribui videas. Quo facto, cum feudorum etiam accessiones eorum jure regi constet. *vid. STRUV. S. J. F. C. 6. §. 12.* dubium non est, quin geradæ cesset privilegium. *ROSENTHAL. d. feud. c. 4. Concl. 4. n. ult.* Hoc & ejus introductæ ratio svadet, & posita Vasallo lex, quæ ad feudi successorem reverti jubet, quicquid ipse aut Domini gratia accepit, aut suis etiam impensis feudo inædificavit, *EN. l. 2. a. 21. P. 3. C. El. 31. j. II. f. 28. §. 1. Vasallus* efflagitat, & quæsitum Domino agnatisque jus, quod intervertere cognatæ vel uxori non licet, manifestè evincit, ut mirum non sit CARPZOVIIUM, cum ahenum muro feudali affixum Geradæ nomine viduæ tribueret. *P. 3. C. 31. def. 6.* secum conspirantis aut scriptoris aut judicis sententiam, quam allegaret, nullam invenisse, licet, cum de hæredum allodialium præjudicio agitur, haud pauci cum ipso ab iis abeant, quæ supra §. II. tradidimus.

Carpzovius
relatus.

XV.

Requis. V. Femine vel dominium (vel jus. §. 18.)
Etiam minus plenum.

Denique Geradæ illa tantum inesse dicimus, quæ ritè ad feminam pertinent, sive circa quæ illi aut dominium competit, aut aliud jus ad consequendum dominium habile. Id verò non illimitatum requiritur, modo jus in re tertio competens aliquando ad proprietatem reversurum sit. Sanè rem pignori suppositam Geradæ numero haud eximi, ex iis patet, quæ de luitione disposuit *LANDM. l. 1. a. 24. in f.* Pariter ademtam pupillæ vel prodigæ administrandi facultatem, aut usumfructum patri maritove competentem, jus Geradæ non mutare quotidianum est. Ex quo con-

consequitur, & Geradam, cujus ususfructus pactis dotali-
 bus, post uxoris fata, ad tempus vitæ marito validè con-
 cessus est, eo defuncto nihilominus ad cognatam redire.
 Itaque *dominium* etiam *minus plenum* sufficit, aut quæ pro-
 prietatis vicem sustinet. l. 13. §. 12. ff. d. acqu. vel. am. poss. l. 31.
 §. 5. l. 44. §. 3. ff. d. usurp. & usucap. usucapiendi conditio.
 HUBER. ad l. 1. 2. t. 6. pos. 14. Quæ verò alio imbecilliori
 titulo tenentur, huc non pertinent. Unde meritò exclu-
 duntur, quæ mulier in securitatem crediti pignoris jure
 possidet. MULLER. ad STRUB. Ex. 30. th. 31. l. 1. n. III. conf.
 ROSENTHAL. de feudis l. 7. concl. 9. n. 93. p. 641. & Re-
 sponsum Scab. Lips. apud FINCKELTHUS. Obs. 81. nec
 non alia, quorum naturalis saltem possessio s. simplex de-
 tentio penes illam est, veluti *utensilia* cum conducto præ-
 dio *sub onere inventarii* concessa: item res geradilis, circa
 quam usum fructum verum habet. Contra ea, in quibus
 ipsi *quasi-ususfructus* competit, Geradæ potius annume-
 randa; cum eorum dominium in usufructuarium transie-
 rit. §. 2. l. d. usufr. & rem in genere saltem, vel quoad æsti-
 mationem restitui sufficiat. a. l. 15. §. 4. ff. d. usufr. j. l. 7. ff.
 de usufr. car. rer. qua usu consum. VOETIUS in Comp. Ju-
 ris ad π. l. 7. t. 5. n. 1.

Non jus pi-
 gnoxis.

Ex conductio-
 ne.

Aut ususfru-
 ctus verus.

XVI.

Cæterum, quòd ad Geradam referantur, quæ in do-
 minio fœminæ sunt, scire parum juvat, nisi simul scias,
 quid in dominio ejus esse censeatur? Itaque quanquam
 de modis acquirendi vulgaribus hic disquirere supervaca-
 neum foret: cum tamen uxori corporum mariti geradiliū
 proprietati singulari privilegio cedat, id nunc quidem præ-
 terire non licet, ne geradica esse negentur, quæ ex juris

Ubi singulare
 est,

Dominium
 Geradæ à Ma-
 rito profes-
 sum.

com-

communis principii ad virum quidem pertinere dicerentur, lege tamen Saxonica uxoris sunt. Ergo à viro profectis *Geradae* indolem thori socia conciliat, dum ea sibi contra civilium legum analogiam bifariam acquirit, *ipso jure*, & *ex donatione mariti*. Prior modus nobilium conjugibus proprius animalia ad illarum *Geradam* referri solita spectat, posterior, ipsis cum ignobilibus communis, ad res geradiles reliquas pertinet. Animalium igitur, ut ab iis ordiamur, proprietates ad equestris ordinis nuptam, sine ejus facto, duplici ratione pervenit. Vel *vivo marito*, quod de anseribus & anatibus verum, quæ ratio est, cur etiam *Niffel-Geradae* insint: *Gl. Behn R. c. 56. n. 7. j. Weichb. art. 23. & textus Land R. l. 1. a. 27. Land R. Addit. l. 1. a. 20. v. sic etiam cognata ejus.* vel viro demum moriente. Id enim circa oves contingere argumento est, quod illas, nec uxore præmorta, cognata lucratur, *GOLDBECK. de Gerada. c. 2. n. 6. inf. COLER. de Proc. Ex. P. 1. c. 3. n. 273. j. Id. P. 1. Dec. 60. n. 48. 49.* nec pignori capere prohibetur mariti creditor, nec uxor, moto concursu, vindicare, ut suas, potest. *Ord. Proc. Tit. 43. §. und weil hierbey.* Quæ cum ita sint, illas à vivo marito in conjugis præjudicium etiam alienari posse concludit *GOLDBECK. c. 7. m. 1. n. 25. 26. ID. c. 15. n. 90. conf. Glossa in artic. 31. l. 1. Land R. lit. e.*

XVII.

& donatione
viri, eamque.

Alterum modum, Juri Romano adversum, quo corpora mariti cujusvis geradilia in foeminae, quæ matrimonio ipsi jungitur, dominium transeunt, *donationem viri* diximus. Licet enim ea aliàs, quamdiu morte donantis confirmata non est, inter conjuges effectu careat. *l. 32. §. 1. 2. ff. de don. int. Vir. & ux. l. 121. §. 2. ff. d. V. O. l. 25. C. d.*

C. d. don. int. Vir. & Ux. Nov. 162. c. 1. RITTERSHUS.
ad Nov. P. V. c. 12. n. 3 ex muliebri tamen privilegio, apud
 Saxones, statim subsistit collata in uxorem à marito rerum
 ad Geradam pertinentium donatio realis. *CARPZ. P. 2.*
C. 13. d. 21. vel promissio, a. N. 162. c. 1. censente sic CAR-
PZOVIO. P. 3. C. 30. d. 16. Imò, nisi præcedentibus pactis
 dotalibus Geradæ renunciatum fuerit, v. *GOLDB. c. 5. m.*
2. n. 11. j. c. 7. m. 1. n. 13. conf. *MULLER. ad STRUV. Ex.*
30. th. 31. ex concessione custodia. P. 3. C. 22. §. wenn aber.
verb. gebraucht oder in ihrer Verwahrung gehabt.
COLER. d. Proc. Exec. P. 1. c. 3. n. 256. & possessione uxoris le-
gitima. GOLDB. c. 3. n. 20. sqq. dicta donatio etiam præsu-
 mitur, modò donandi potestatem maritus habuerit.
 Quare cum *lecti expeditorii* donatione conjugis fieri ne-
 queant. *vid. CARPZ. P. 2. C. 13. d. 13.* ad Geradam illi non
 referuntur, sed proximo agnato à vidua restitui debent.
Landst. L. 1. art. 22. Atque sic *resp. F. J. L. M. April. 1707.*
 Et generaliter minus rectè uxori custodienti acquiri ea di-
 xeris, in quibus marito non aliud jus est, quam quod, ad
 Geradam constituendam, ne ipsi quidem uxori sufficere
 diximus. §. 15. Unde nec *privigna Geradam*, impetratà li-
 cet à marito usus custodiaeque concessione, ne verca lu-
 crabitur, cum earum partium, quæ utendo non consu-
 muntur, v. g. *indusii*, quo infans baptizandus regitur,
des Wester-Hembds / verus usufructus patri compe-
 tat, reliquorum autem, quæ usu sensibiliter atteruntur,
 excepta pecunia, ne quidem quasi-usufructus debeat, ob
 alienationis prohibitionem. *l. f. C. d. Cur. fur. l. ult. C.*
d. bon. qua liber. l. 1. C. d. bon. nat. Confer. CARPZ. P. 2. C.
14. d. ult. & dominium liberis reservatum l. 1. C. d. bon.

Statim valere.

Ex concessa
 possessione
 rerum, quas
 maritus alie-
 nare potuit.
 Non ergo Cul-
 citrae milita-
 ris.

Aut Geradæ
 filia.

D

quæ

Nisi contrarium probetur.

Factam præsumi sub conditione, nisi vir receperit.

que liber. l. 15. l. 16. C. d. præd. min. sine decreto. l. 4. C. d. bon. qu. lib. l. 23. ff. d. R. V. Horum ergo & similibus tacita donatio intercessisse non creditur, quam præsumtionem etiam aliàs contraria deficientis in marito donandi, in uxore civiliter possidendi, probatione elidere licebit. Unde nec ad elocandam filiam à patre comparata Geradæ insunt, nec liber muneris natalitii nomine licita donatione *CARPZ. P. 2. C. 13. d. 20.* ab uxore marito oblatu: quem etsi ab illa postmodum & lectum & custoditum fuisse constat, viro tamen, non sibi, foemina servasse videbitur, cum ejusmodi dona ab honorato non accipi, aut à donante recipi moribus injuriam habeatur. Cæterum tacitæ, de quâ agimus, donationi, tacita etiam conditio inest, si uxor custodiam continuaverit, nec possessionem conjugii restituerit. Hoc enim casu res ad maritum reversæ ad hæreditatem pertinebunt, *Glossa Weichbild. art. 23. GOLDBECK. de Gerada c. 3. n. 14.* nisi forte marito nudam detentionem commissam fuisse probari queat. Quod si enim uxor. v. g. ades aut scrinium mutatura mariti saltem custodiæ res geradicas, mox recipiendas, interim commiserit, Geradæ apud ipsum depositæ naturam hoc solo mutata fuisse dixerit. Quæ de dominio sufficient. *conf. d. Gl. Weichbild. a. 23. col. 8. GOLDBECK. d. l. n. 20.*

XVIII.

Vel actio.

Succedit intacta Goldbeckii de *juribus & actionibus* quæstio, an & quatenus illis quoque inter res geradicas locus detur? Indistinctè responderi nequit; sed probè discernendum est, utrum omnia omninò mulieris bona in immobilia & mobilia, istaque iterum in hæreditaria & geradi-

radica dividi necesse sit, nec ne. Posteriori casu jura nec mobilibus bonis nec immobilibus inesse, sed tertiam speciem constituere expeditum est. *l. 7. §. 4. ff. d. pecul. l. 15. §. 2. ff. d. R. Jud.* Adeoque tum ad hæreditatem illa potius pertinebunt per dicta §. 9. Unde, ut exemplum adjiciamus, Geradæ præsentis emtorem, qui, ultra corpora geradica dominio venditricis comprehensa, jus quoque successione in cognatæ Geradam eidem delatæ sibi deberi contendit, non putamus audiendum. At, priori casu, cum, in omnium bonorum divisione, *juravel ad immobilia vel mobilia*, eaque aut hæreditaria aut geradica non possumus non referre, veluti cum de familia herciscunda solliciti sumus, generalia legum principia latissimè à *SCHULTES. in Addit. ad MOD. PISTOR. P. 3. qu. 124. n. 17. sqq.* deducta sequimur. Cum ergo, qui actionem habet ad rem petendam, ipsam rem habere videatur *l. 15. ff. d. R. J.* illam eodem jure censerè dicimus, quo ipsa res haberetur, si illam jam consecutus foret is, cui ea debetur. *vid. l. 143. ff. d. V. S. l. 52. ff. d. acqu. rer. dom.* Hinc nec Geradæ indolem respuet, qua, utpote universitate *HART. PIST. O. 190. n. 15.* etiam jura contineri docet. *j. l. 1. ff. d. fund. dot. a. l. 24. ff. d. V. S. l. 62. ff. d. R. J. COLER. P. 1. decis. 51. n. 13. & 14. & Dec. 286. n. 76. BERLICH. P. 3. Concl. 29. n. 76.* Hoc Ad acquirendum dominium, posito sponte jam sequitur, quod innuimus jura, quæ ad consequendum dominium aut usucapiendi conditionem tendunt. v. g. actionem emti, ad Geradam referri debere, non alia jura, quæ minus persequuntur. Itaque debitum corporis geradilis, mortuæ promissi, geradicum est, jusque rem petendi, exclusis hæredibus, cognatæ cedit, ceu judicatum ap. *CARPZ. P. 3. C. 30. d. 16. & in eandem*

In casu quo ea necessario

Ad mobilia referretur.

Ad acquirendum dominium.

Non jus imbecillius consequendum competens.

Geradæ delatæ successio, licet eam defuncta nondum agnoverit, transmittitur, ut pluribus ostendit *MOD. PISTOR. P. 4. qu. 131. ibique SCHULTES. Addit. n. 219. § 99.* Contra verò, ut, quæ supra §. 15. dicta sunt, huc accommodemus, & conductorum utensilium usus debiti petitio, & usufructus eorum etiam hæredibus concessi, adeoque defuncta quoque usufructuaria durantis, vindicatio, decedente fœmina, ad hæredes ejus, non cognatum perveniet.

XIX.

Limitatio I.

In debito accessorio, quod an

Hæreditarium,

Stat ergò sententia, ad constitutionem rei Geradicæ jus sufficere, quo mediante dominium acquirere licet. Quod, annon de principali, puro & simplici debito tantum intelligi debeat, ulterius videndum. Fac ergo, circa Masculi hæreditatem fœminæ delatam, inter ejusdem hæredes & cognatam oriri controversiam, utrum res geradiles, illa hæreditate comprehensas, ad Geradam defunctæ referre liceat? Ancipitem litem moves. Nam pro hærede facit, quod res illæ non singulari titulo defunctæ debeantur, sed alio, & propter necessitatem creditoribus satisfaciendi, (quæ etiam successuram cognatam difficillimo calculo pro ratâ gravatura esset) oneroso & universatam, succedere manifestum est. Itaque eidem, quod in toto obtinet, juri etiam in parte locus dandus videtur. *l. 76. ff. d. R. P. j. l. 1. §. 1. ff. si pars hered. pet.* maxime cum defuncta masculinum, cujus hæres erat, præmortuum representet. *l. 59. ff. d. R. J.* cujus intuitu Gerada concipi nequit. Accedit, quod plerumque adhuc dubium sit, an & quæ rerum geradilium portio ad defunctum transfuratur.

tura fuisset. Quid enim, si subsecuta divisione, quam, admissa cognatâ, litibus plenissimam reddemus, aliis ejusdem pretii mobilibus fœminæ addictis, cohæredi eas tribuere, vel, ad vitandas de inæqualitate lites, easdem communi nomine vendere, pretiumque partiri placuisset? Quæ omnia cum à defuncta fieri potuerint, hæredibus ejus, ad quos idem familiæ herciscundæ jus, quod illi competebar, pertinet, iniquum videretur non licere. His ergo rationibus motus, si quis cognatâ causam deteriori judicaverit, illi ego, maximè si hæreditatem defuncta nondum adiit, non multum refragabor, quantum alienum in hac quæstione iudicium sequi, quam meo uti malo, cum nec adductis argumentis ubique locus detur, nec desit cognatâ, quod & ipsa alleget. Pro illa enim militat, quod res, de quibus quæritur, si jam in defunctæ venissent potestatem, sine dubio ad ipsam transi-
 turæ essent. Unde per ea, quæ §. 18. adduximus, nec aliud de jure, quod circa illas mortua reliquit, dicendum videtur. Quæ ratio tum maximè favorem merebitur, cum fœmina Lipsiensis, cui delata est masculi hæreditas, ipsa dictas res, mortuo forte marito, ad Geradam, quam nostro statuto præcipuam habet, relatas, adeoque odioso collationis oneri subtractas cupit. Sed hæc, ut dixi, aliorum decisioni relinquo.

An geradicum sit.

Dubitatur.

XX.

Pergo ad *conditionale rei geradilis debitum*, quod, quia conditio suspendit saltem, non alterat, contractum ad geradam referendum, nisi fortè conditionis impletio in hæredis potestate sita sit, non cognatâ. Cum enim illa Geradam non nisi cum onere, quod eidem cohæret,

Limit. II in debito conditionali, cum solus hæres conditionem implere potest.

D 3

lucre-

Limit. III. in
alternativo,
cujus eventus
expectandus.

Quid si optio-
nem habuerit
defuncta.

Ampliatio I.
ad non pos-
sessā.

lucretur, sequitur, annulo, verbi causā, non aliter, quā
si locatarum ædium usus eādē mercede ad longius tem-
pus concedatur, debito, ad hæredem, quem conditionis
premit incommodum, promissionis etiā commodum
pertinere. *l. 10. ff. d. R. J. j. a. l. 13. §. 1. ff. commodat.* De-
nique *obligationis alternativæ* eventum expectandum di-
xerim, ut, promissis certi pretii supellectilibus, si debi-
tor rem geradicam dare elegerit, illa cognatæ cedat, hæ-
redibus contrā cupientibus, si oblati alterius generis uten-
silibus v. g. poculo, ipse se liberare præoptaverit. *c. 70. d.*
R. J. in 6. Sed quid si defunctæ creditricis fuerit optio?
Tum, utrum ad hæreditatem, an Geradam potius, actio
referri debeat, non liquere ingenuè fateor. Itaque aut
divisioni locum faciam, aut forti, nisi debito jam vel ab
hærede, vel à cognata, petito, quia in causa omninò pari
melior esse debet possidentis conditio. *a. l. 4. ff. d. in rem*
verso. vigilantia favendum autumes, qui alterius jus bona
fide ignorabat, aut cui eum, qui concurrere poterat in optio-
ne, præveniendi consilium priori placuit. *a. l. 16. ff. d. Duob.*
reis. Sed his diutius immorari non lubet.

XXI.

Ex hætenus dictis jam facillè colligitur, cur in tra-
dendis rerum geradicarum proprietatibus sicco, quod
ajunt, pede *possessionem* præterierimus, ad quam tamen
vulgo potissimum provocari concedimus, probè gnari, il-
lam plerisque causam Geradæ proximam appellari. *vid.*
GOLDB. c. 3. n. 13. & qui eum sequitur CARPZ. P. 2.
C. 14. d. 25. Nempe possessione ad hoc, ut res aliqua Ge-
radæ jure censeatur, regulariter opus esse planè negamus,
nec muliebri privilegium ad illa etiā proferre ambigi-
mus,

mus, quorum possessionem foemina aut nunquam adepta est, aut acceptam iterum amisit. scil. debitum rei geradilis ad Geradam referri §. 18. ex ipso *CARPZ.* ostendimus. Vel nondum apprehensa.

Qui ergo dubitemus, quin eadem, masculi legato foeminae relicta, huc pertineat, cum legataria jam non jus ad rem, sed quod majus est, ipsum rei dominium consecuta fuerit.

a. l. 64. ff. d. furt. l. 3. §. f. C. Comm. d. Legat. l. 8. ff. d. legat. 2. j. CARPZ. P. 3. C. 13. d. 30. possessione licet nondum apprehensa. Vel amissa possessione.

Quod si corpus Geradicum deperditum, aut à fure ablatum fuerit, aut alia ratione, salvo foeminae dominio, in manus alienas pervenerit, certe quidem mutata possessio non mutabit, sed integrum, ut ante fuit, jus ad recuperandam possessionem potius sufficiet, adeoque & rei vindicatio & conditio furtiva &c. Geradae inerunt.

Quare quæ possessioni in hoc negotio, verbis interdum nimis generalibus, tribuitur virtus, ad eas tantum res geradicas restringi debet, quæ à Viri profectæ, tancita ejus donatione ad uxorem perveniunt. Non nisi circa res à marito profectas necessaria.

conf. MUL- LER. ad Struv. Ex. 30. th. 31. l. §. 7. 11. Siquidem harum præsumtum dominium, quod juris geradici in his origo est, sine possessione nec acquirit uxor, nec retinet, prout & nos tradidimus supr. §. 17. Quæ si quis ad alias, quàm quæ in matrimonio sunt, foeminas, aut corpora à maritis haud comparata, applicuerit, is quidem admodum à vero aberrabit. Nam, ut reliqua taceam, geradica ab uxore profectæ, non obstante expressâ donatione, qua virum honorare thori socia non licet, *P. 2. C. El. 13. §. 14.* viduus cognatæ restituere tenetur *GOLDB. c. 3. n. 20.* tantum abest, ut per solius possessionis translationem, amissa geradae indole, ad maritum transire possint, quod tamen iis, quæ viri

viri liberalitate ad nuptam pervenerant, contingere, eodem ipso teste, ibidem evicimus.

XXII.

Ampl. II.

Ad accessiones

Restat ut, quorsum rei geradica fructus & accessiones referri debeant, paucis investigemus. Accessiones igitur, cum rei, cui coherent, naturam sequantur. *a. l. 23. §. 4. ff. d. R. V. ejusdemque domino acquisitæ censeantur. HUBER. in Pral. ad π. L. 41. t. 1. pos. 9.* geradicas merito dixeris. *vid. GOLDB. c. 4. n. 24. seqq. FR. PFEIL. Cent. 1. Conf. 90. n. 8.* quæ ratio est, cur, cum seras, nec lex ulla nec

Etiam actio-
num.

Autor, Geradæ annumeret, quæcunque tamen cistis aut scriniis huc pertinentibus junguntur, una cum clavibus viduæ cognatave cedant. Quod de *actionibus* etiam geradicis accipi velim, ut, cum debitor ultra simplum, veluti depositum mundi miserabile inficiatus, vel quanti plurimi condemnandus est, nihil juris in id augmentum heredi competat. Aliud tamen dicendum, si actio occasione

Et fructus naturales pendentes.

saltem rei geradicæ nasci queat, quæ rem ipsam plane non persequitur, veluti furti, quam potius hereditariam judicaverim. De *fructibus* nunc distinctè agendum. Nam pendentes quidem ipsius rei pars videntur. *l. 44. ff. d. R. V.* adeoque, sive ipsi naturaliter cohæreant, velut anseribus pluma, ovibus lana, aut foetus utero clausus, sive juris intellectu unum quodammodo corpus cum ipsa constitutere credantur, ut hœdi qui lactantur *a. §. 19. I. d. R. D. vid. l. 20. ff. d. auro & arg. leg. MOD. PIST. qu. 21. BEUST. d. Matr. c. 71. v. tamen Addit. Spec. Sax. L. 1. a. 20. L. 5. accessionum, de quibus modo diximus, numero sunt. Quare cum Gerada talis debeatur, qualis moriente marito aut cognata fuit, per *Text. Land N. l. 1. art. 20. j. l. 3. Land N.**

Land R. art. 76. dictos fructus, si eo tempore separati haud fuerint, frustra haeres petet. *dd. Textibus j. Weichbild. art. 24. §. 36. I. d. R. D. j. l. 13. ff. quibus mod. ususfr.* **HART. PIST.** l. 1. qu. 34. **COLER.** Dec. 60. n. 26. conferri meretur **CARPZ.** l. 2. C. 14. d. 23. quem, cum Gerada, ^{Carpzovius explicatus.} tanquam universitati, etiam fructus inesse paulo generalius tradit. n. 8. saltem de naturalibus pendentibus intelligi & substrata, quam ibi evolvit, materia, nec non quam ipse in suam sententiam excitavit, mox alleganda *l. 2. C. d. hered. petit.* postulat.

XXIII.

Neque enim Gerada jure censentur reliqui *fructus*, ^{Separati & Civiles Geradae non insunt.} sive *naturales* separati, sive *civiles*. Ex quibus, quia universitas ab eo demum tempore augetur, quo peti potest. *d. l. 2. C. d. hered. petit.* sequitur ad haeredes pertinere, quicquid ex anseribus anatibusque vel ovorum natum vel pulorum exclusum est intra diem trigessimum à morte personae defunctae computandum, cum Gerada tum demum debeat, **Land R.** l. 1. art. 22. impensaeque in eam faciendae haeredem interim premant, *a. l. 62. ff. d. R. J.* quare etiam emolumentum inde natum ad eundem pervenire aequissimum. Nec magis ad Geradam pertinent *fructus* ^{Ne quidem currentes.} *civiles currentes*, veluti mercedes lectorum aliusve corporis geradici locati. Eos igitur pro rata temporis, ad trigessimum usque elapsi, cum haeredibus dividere cognata jubebitur. *vid. P. 3. C. El. 26.* Vidua verò, cum maritus tanquam usufructuarius illos percipiendo suos non fecerit, quatenus eorum dies nondum venit, totis quidem fruatur; attamen illa portio, quam haeredibus cognata relinqueret, non tanquam geradica, sed jure consolidati

E cum

cum proprietate ususfructus, adeoque ut accessio proprietatis ad ipsam revertitur. Pariter cognata ratam fructuum, quæ ipsi debetur, non ut rem geradicam, sed vi domini, in quod circa rem fructum ferentem ipsi delata successio, consequitur.

XXIV.

De rei geradicæ interitu.

Hactenus igitur, quæ rem geradicam constituent, indagavimus. Jam, quæ eandem destruunt, paucis adjiciemus. Desinit ergo aliquid ad Geradam referri tribus modis, vel cum esse desinit, vel cum rei geradilis naturam amittit, vel cum, salvâ substantia, jure saltem rei geradicæ excidit. Initio igitur, si rem ipsam prorsus destrui contigerit, frustranea erit de ejus jure quæstio, maxime cum Geradæ consumptæ ne quidem æstimatio ipsi viduæ debeat. *GOLDBECK. c. 5. m. 2. n. 49. c. 15. n. 109. 110. conf. de donis nuptialibus Decis. Elect. 51.* Deinde Geradæ jus perit, cum respectu geradilium numero esse desinit, quod contingit, si domina, mutato domicilio, in eum locum se contulerit, ubi aut nullum Geradæ jus viget. *conf. MOLLER. Semestr. l. 1. c. 11. RICHTER. d. success. ab intest. sect. 1. membr. 1. n. 60. in f.* (ubi præjudicium JCt. Jenensium refert, quod in toto Ducatu Vinariensi Jus Geradicum neque inter nobiles nec ignobiles obtineat,) aut corpus, quod pristinae habitationis moribus eò referebatur, hæreditarium creditur. Tum enim Geradæ jus extinguitur, ut tamen ejusmodi rei à marito profectæ dominium conjugii salvum sit. *vid. tamen KNICHEN de Vestiturar. pactio. p. 2. c. 1. n. 155. sqq. & quæ habet FINCKELTHUS. O. 81. n. 45. sqq.* Semel enim ritè ipsi acquisita fuit, adeoque ejusdem manebit, quemadmodum vice

1) per destructionem.

2) Si geradilis esse desinat. Mutato jure.

vice versa, ea, quæ maritus è bonis aut opera uxoris constante matrimonio jam lucratus erat, nemo ad illam reverti dixerit, etsi ambo postmodum extra Saxoniam domicilium nacti, ubi eo jure viri non gaudent. *a. l. 85. §. 1. ff. d. R. J. HEROLD. Tr. de Jure Repræs. & transp. C. 8. Concl. 9. n. 47. sqq.* Pariter Geradæ pars geradilis haud manet, si ipsius *speciei alteratio* intercesserit. Veluti *re ita deformata*, ut, quæ supersunt, rudera usibus geradicis amplius haud inserviant, neque enim Geradæ insunt *frustula argentea*, Bruch-Silber. Idem dicendum, cum *totum*, quod aggregatum Philosophi appellant, *in membra resolvitur*, quæ, quanquam singulis sua constat integritas, hæreditati tamen, nisi conjuncta fuerint, annumerari solent. Exemplum præbet *linea unionum aut coralliorum scissa*, cujus partes *unangereihete Perlen und Corallen* geradiles haud manent. *Conf. CARPZ. P. 2. C. El. 14. d. 45.* Similiter materia ad pristinam ruditatem reducta metalli loco habetur, non Geradæ. *conf. LandR. l. 1. a. 24. ibique Gl. nisi conflatio casu aut eo fine facta sit, ut aliud corpus geradile statim inde resurgeret; idem dicendum, si species geradilis in aliam, hoc privilegio haud fruientem, transformetur Gl. in art. 24. LandR. l. 1. lit. q. j. Gloss. WEICHB. art. 23. n. 13. 14. 15. sqq. MOLLER Semestr. l. 2. c. 6. MOD. PIST. q. 21. veluti cum ex candelabro poculum confectum est. J. C. HEROLD. Tr. d. Jure transp. & repræs. c. 5. l. 9. n. 57.*

XXV.

Denique, salva corporis substantiâ & forma, nec for-
ro dominæ mutato *Gerada jus expirat*, si quicquam dema-
tur ex his, quæ fufius hactenus tractata in compendio ex-
hibui-

E 2

hibui-

Aut corpore.

Valdè de-
formato.

Dissoluto.

Conflato.

Vel transfor-
mato.3.) Extincto
saltem jure rei
Geradicæ.

Immobilis fa-
citur.

Ad alios usus
translatæ.

Aut alienatæ.

hibuimus supr. §. 8. Hoc triplici potissimum ratione accidit, nempe si *res geradica* vel *immobilium numero esse* incipit, vel aut *servitium mutat* aut *dominam*. Ita *caldari-um*, hactenus locari solitum, si muro affigatur, nemo amplius ad Geradam referendum existimabit. vid. supr. §. 12. & *CARPZ. P. 3. C. 31. d. 6.* Nec minus illi *Geradæ* portioni, quam *mercis instar*, vendendam *tabernæ publicæ à mercatrice inferri* contingit, muliebris beneficii jacturam imminere ex iis patet, quæ supra §. 12. deduximus. Tandem etiam *alienatione Geradæ* degenerat. *BERL. P. 3. C. 29. n. 100.* *DAN. MOLLER. P. 2. c. 13. sub fin.* saltem alienantis intuitu, ne quis eam ab alia scœmina acquiri, adeoque nihilominus singulari mulierum jure censerî posse, regerat. Quod quidem frustra nobis objiceretur, qui, cum corpus aliquod Geradicum esse, respectu *Sejæ*, negamus, veluti quando pignus à *Creditricis Geradæ* excludimus, idem tamen ad *Cajæ*, veluti oppignorantis, hereditatem cum cognatæ præjudicio relatum minimè cupimus. Cæterum nec metallum confectio nec pecuniam emtioni rerum geradicarum destinatam Geradæ jure haberi. *CARPZ. P. 3. C. 30. d. 15. conf. Resp. Scab. Lips. quod habet FINCKELTHUS. Obs. 81. n. 93.* nec pretium inde redactum in ejus locum succedere expeditum est. *al 48. §. 7. ff. d. furt. id. CARPZ. d. 13. MULLER. ad Struv. Ex. 30. tb. 31. l. 1. n. III. MOD. PIST. P. 1. qu. 21. n. 5. sqq. FR. PFEIL. Cent. 1. Consil. 90. n. 9. sqq. j. Gloss. Weichb. art. 23. n. 13. sqq. conf. Resolut. Scab. Lips. de anno 1599. qu. 17. n. 11.* ubi generalia leguntur verba, Gerada non potest consistere in pecunia, cum consistat solum in rebus mundum & supellectilem muliebrem concernentibus.

XXVI. Jam-

Jamque absolvimus, quæ Academicæ de rebus geradicis commentationi sufficere videbantur. Sed *coronis* deest. Eam igitur *de consuetudinum*, quas circa hoc bonorum genus sequimur, *equitate* brevis contentio supeditabit, cum & eo jure, tanquam à ratione minimè alieno, utamur, & sint qui illud quasi iniquissimum penitus eliminatum cupiant. Illi igitur non heri demum aut nudius tertius de morum in hoc argumento diversitate & incertitudine, fœcunda infinitarum litium ancipitiumque controversiarum matre, querelas audiri cœpisse ajunt, sed majoribus jam nostris tristi experientia dudum comprobatum fuisse referunt, vetus ac nimis verum proverbium: **Eine Gerade macht viel ungerades.** Quod si quæ sint, quæ liquido definita esse negare non audent, ea nimium quantum à naturali ratione recedere autumant. Cui enim prudens videri posset consilium, cujus ope uxori- bus, dum utensilium à marito profectorum ipsis data proprietas, irritamentum subministratur potentius, quàm quod sexus, opibus & rebus imprimis ad pompam ornatumque facientibus corradendis per se satis deditus, superare valeat, quo, ad geradam immensum ad augendam, vel cum evidenti maritorum pernicie, abripiatur? De horum enim calamitate, quam non raro inde aut nasci constet, aut crescere, ipsas eò minus reddi sollicitas, quò magis impune pretiosissima luxuriæ instrumenta, quasi optimo jure debita, intemperantiæ præmia retinere mulieri eo ipso tempore liceat, quo viri, obarati creditores, de insigni facultatum suarum, jactura frustra conquerantur, aut angustum patrimonium, pro luculenta spe, sibi re-

Coronis de
Geradæ æqui-
tate contentio

Iniquitatis ac-
cusatio.
Ob incertitu-
dinem & lites,

Præjudicium
mariti.

Ejusque credi-
torum,

Et hæredum. listum hæredes ne quicquam indignantur. Itaque ad male parta potissimam Geradæ partem referunt, quam mirum non sit nihilo melius dilabi. Eam enim solam rationem præstare putant, ut omni colore carere dicendæ sint Saxonum consuetudines, quæ in hoc negotio & omnem ultimæ voluntatis, licet nihil magis mortalibus debeatur, libertatem tollant, & alium prorsus ab intestato succedentium ordinem invexerint, quàm quem naturalis ratio & verosimilis defunctarum voluntas admittere videatur. Neque enim minimam æquitatis speciem habere, quod mœstissimo viduo ea addatur afflictio, ut, quia thori sociam inimica mors abstulit, defunctæ cognata etiã non exiguam partem rapiat eorum, quæ gravissimis sæpè impensis, ipse, ad necessitatem magis, quàm usum, comparaverit. Nec minori injuria hodiè reliquos aggressis ac civicæ sortis mares affici contendunt; quanquam priscos Saxones, quorum Heergewettam curta mulierum supellex, ut tunc erant tempora, nihil aut modicum pretio superârît, eadem benignitate excusandos fatentur, quã nunc etiã equestris ordinis & illustribus inprimis foeminis indulgendum sit, quibus parum verecundè invideri geradam concedunt, cujus jacturam feudorum, ad solos agnatos spectantium, lucra facile compensent. Nihilo enim secius haruspice opus esse pergunt, si quærat, quo admissio facinore viri etiã ignobiles, ut reliqua bona æqualiter cum fororibus dividerint, à successione tamen Geradæ, pro ratione hodierni luxus sæpè pretiosissimæ arceri & remotissimæ quoque cognatæ postponi promeruerint. Illud vero plane non tolerandum ajunt, quod vel odiosissima aliàs fisci successio plus favoris sibi vindicet, quàm

Ademtam testandi facultatem.

Et injuriam factam viduo.

Ac reliquis masculis.

Prælatæ forore.

Cognatæ remotiore.

Imo fisco;

quàm ipsi, quos naturæ simul & parentum commune votum primo loco vocet, filii legitimi, quibus à Geradâ excludendis sufficere putetur, ad nobiliorem sexum referri. Hæc & similia produci à nonnullis videas, qui egegriè se de RePubl. meritos existimant, si quam in Brunsvicensi & Lüneburgico, Guelferbyitano item & Calenbergico nec non Vinariensi Ducatu haud secus, ac Northusæ, Sangerhusæ & in aliis quibusdam civitatibus contigisse gaudent, Geradæ abrogationem reliquis Legumlatoribus, exempli loco imitandam inculcaverint.

XXVII.

Verum enimverò nec ab altera parte rationibus, quas regerere liceat, destituitur *Geradici Juris vindex*, qui, quod & ab initio rectè introductum, & tot, non annorum sed seculorum usu, comprobatum novit, temerè nec imutandum neq; iniquitatis arguendum existimabit. Nam morum quidem diversitas nullam quoad ipsas singulorum locorum consuetudines incertitudinem arguere ipsi videbitur, sed iis saltem, qui illas ignorant, errandi præbere occasionem, quam sibi imputare, nescio an immeritò, jubebitur, quisquis è suæ civitatis vel provinciali lege intempesivum de jure alterius municipii aut pagi judicium proferre festinat, antequam in pecularia illius statuta inquisiverit. Porro ut ex infelici, quod naturæ magis quàm fundi vitio subnascitur, lolio agrorum indolem metiri non solemus, ita nec Geradæ jus nostro suspectum reddit litium, quas aut judicum imperitia aut malitia Advocatorum, aut concertantium avaritia & perveracia, hominum, non legum, navi, gignere solent, nimium fœcunda seges; quam & circa alia quam plurima Jurisprudentiæ capita, quo-

Æquitatis vindiciæ.

Responsio ad objectionem de dubiis.

Et controversiis circa Geradam.

quorum tamen & usum unà cum frequenti abusu eradicandum nemo judicavit, indies incrementa capere cordatiores dolent. Uxoribus vero in coemendis, quibus ad luxuriam abutantur, profusionem tantum quidem abest, ut quisquam approbaturus sit, ut potius sponte omnes laudaturi videantur legem, si qua foret, quæ, servata Gerada, illum ultra certum rerum numerum aut pretium excrefcere, quæque modum definitum excedunt, muliebri privilegio comprehendere vetaret, quemadmodum Heergewetta una tantum debetur, etsi plures viro acquisita fuere. Attamen cum nuptæ à maritis, quorum interest, ne ipsorum facultates, Gerada nimium aucta, minuantur, intra limites contineri & possint facile & debeant: haud abs re quisquam patrium jus ab insectationibus liberare cupit; vicio vertendum legislatori negabit, quod prudentibus, quos ipsos sibi satis consulturos credibile est, prospicere superfederit; hominibus autem uxorio jugo colla spontè subjicientibus & vix viris, quos condigno maritellorum elogio Baldus exornat, debita vecordiae præmia per ipsas, per quas peccant, conjuges dicam, an Dominas? exsolvi patiat. At Creditorum, quos maritus habet, securitati satis jam actione Pauliana cautum credet, si fraus foeminae, Geradam ad illos circumveniendos cumulantis, intercesserit: sin minus; non apparere contendet, quamobrem deterioris ipsa conditionis esse debeat, quam quivis alius, qui nominibus donatoris exstinguendis accepta impendere nullo jure cogitur; Quid enim, inquiet, si foemina opulenta, quæ retentis immobilibus ex alia diuisione in nostratis concesserat matrimonium, postquam diutissime secunda for-

Argumenta
pro uxore.

Contra viri
creditores.

Fortuna utebatur, tandem, ob ædes exustas, prædia bellorum ruinis hostiumque exactionibus consumpta, aliasque, quibus patria brevi ante ejus obitum conflictata est, calamitates minus reliquerit, quam solvendis ejus debitis sufficit? Tum verò ea, quæ maritus durante conjugio ex ejus bonis aut industriâ moribus nostris semel ritè sibi acquisiverat, creditoribus restitui debere vix quisquam censebit. Eodem ergò jure nostri judicio, quamvis superveniente viri inopia, quæcunque illius beneficio antea legitime ad uxorem pervenerant, ipsa retinebit; creditores verò damnum inde in ipsos resultans, eo moderatius ferent, quo certius omnia, quæ è conjugis bonis vicissim percepta, marito supersunt, massam concursus augent, cui ipsa quoque Gerada cederet, si foemina, cui separatam à viri rationibus mercaturam exerceri non difficulter supponimus, ipsa illis debuisset, & aliunde solvendo esse desisset. Jam illos, qui mortuo marito Geradam Vi-

Et hæredes.

duæ iniquissimè vindicari criminantur, iniquissimos hujus juris censores vocabit. Nam detrimentum quidem illatæ ab uxore Geradæ, si ea ab ipso marito &, quæ illi servit, familia utendo attrita aut consumpta fuerit, soli foeminae nocere facile probabit. Quo posito vice versà argumentabitur, eidem optimo jure illius quoque cedere incrementum, fortè

F à ma-

à marito profectum, quod & usum fructum bonorum uxoris, ac lucra ex ejus operis quæsitæ, successiõnemque in prædefunctæ mobilia, quibus omnibus vicissim maritus fruitur, vix ac ne vix quidem compenset, & collationis oneri insuper obnoxium sit, si quicquam præterea vidua capere optaverit ex hæreditate mariti, etiam illus quem omnes suas fortunas, & quod Iro non decefferit pauperior, post Numinis providentiam soli conjugii debere constat. Postea testandi licentia, qua præsci Germani, antequam Itatorum leges imitarentur, commodissimè penitus caruerunt, in bonis, quæ moribus nostris non defunctæ beneficio sed familiæ jure deferuntur, nihil opus esse tuebitur. Denique ut iis, quas contra successores moveri diximus, querelis satisfaciat, initio non esse dicet, quod ægrè ferat viduus, cujus pinguia in facultates uxoris jura modò enumerata fuere, jacturam bonorum, quorum aut possessionem sibi reservare poterat, aut custodiam, non nisi aliâ lege conjugii concedere: quo facto nequicquam illa à cognata peterentur. Deinde civium filiabus quæ Geradam habent præcipuam, plura, quàm fratribus, ex parentum hæreditate obvenire haud equidem inficiabitur: ast illam inæqualitatem ratione destitui temerè sibi non patietur persuaderi. Nam & in acquirendis, quæ ab Ascendentibus relinquuntur,

Cur testari non liceat.

Rationes adversus Viduum.

Et cognatos masculos pro forore.

tur, feudis filios fororibus præferri, & ipsorum institutioni itineribus, dignitatibus majores, quam requirunt filia, quarum tamen operis in gerenda rei familiaris cura magis parentes sublevantur, sumtus impendi illisque paternum patrimonium vehementer haud rarò frangi regeret. His addet, quod & Clericis, qui Pontificum olim decretis parebant, salva sit Geradae maternæ petitio, & seculo addicti plerisque eò pertinentibus commodè ut plurimum careant, donec matrimonio jungantur; quo inito sufficere putabit, quod circa ascendentium Geradam uxoribus, quarum bonis ipsi fruuntur, idem jus competat, quo ratione cognatarum sorores gaudent. Præterea, quantò facilius, quàm foemina, masculus ipse sibi facultates acquirere possit cum aliis, quibus noster sexus pollet, non infimi momenti prærogativis allegabit. Hoc admissio porro non omnino ini- Et fisco. quum judicabit, masculini generis consanguineis etiam fisco præferri. Certè enim impensæ, quibus istos jurisdictionis fructus lex destinavit, communem salutem promovent, adeoque illarum collatio jure imperari subditis poterat. Quo onere cum hac ratione omnes leventur, parum justam censebit indignationem paucorum, quibus publicæ salutis ergo non tam auferri, quàm non acquiri, contingit captatum lucrum, quo & aliàs carerent, si, quod

quod plerumque fit, aliqua saltem cognata super-
stes fuisset. Tandem bonorum, de quibus agimus,
reservato usufructu, aut venditio, aut inter vivos
donatio licita est & quotidiana, ut vix erraveris, si,
quæ ita adempta non sunt, cognata aut magistratui
deferantur ex voto defunctæ: cujus voluntate quò
minus aliqua facultatum portio ad alios, quàm
proximos consanguineos, perveniat, Ge-
radæ ofores non intercedunt.

FINIS.







ULB Halle
003 913 04X


3



Slo







20.

M. 49. Pulm. 20.
ss.

1710, 8 *12*

Q. D. B. V.

DE

REBUS GERADICIS,

VULGO

Gerade Stücken/

INDULTU ILLUSTRIS JCTORUM
ORDINIS

GODF. LUDOV. MENCKEN, D.

ET

JOH. FRIEDERICUS SCIPIO,

DISPUTABUNT

H. L. Q. C.

D. VI. FEBRUAR. MDCCX.

LIPSIÆ,

LITERIS IMMANUELIS TITH.

